cum illo facit deus misericordiam in qua sunt multę miseraciones. Quod
ait miserere mei deus. Hoc est quod dicit dele iniquitatem meam. Et
quod dicit secundum multitudinem miseracionum tuarum hoc est quod
dicit secundum magnam misericordiam tuam. Amplius lava me ab ini-
quitate mea. Peto ut peccata mea abluas fonte misericordię qui
non vis in eternum peccati vulnera reservare. Ac si dicat tu potes
plus mihi remunerare quam ego etiam intellegam rogare. Scio quia peccatum
meum inpunitum non manebit. Et a peccato meo munda me. Non iusticiam
tuam cuius quero misericordiam. Sed tamen a deo peto ne me punias quia ego
peccatum meum punio flendo et me met ipsum condempnando. Quoniam iniqui-
tatem meam ego cognosco id est ante faciem meam pono ideo peto ut tu ignos-
cas quia ego istud agnosco. Et peccatum meum contra me est semper. Non enim
possum post dorsum peccatum quod feci sed ante me est semper nec intuendo alios
oblitus sum illud. Iniquitas dicitur quę quid contra legem divinam agitur.
Omnes sciunt peccata sua sed soli illi probantur ea agnoscere qui ea propria
execratione condemnant. Peccatum commissum deflens in conspectu meo
pono illud iugiter quasi in venturo iudicio iam ante te constitutus. Tibi soli
peccavi. Quilibet ex populo peccans errando deo peccat et regi. Rex autem de-
linquens soli deo reus existit qui nullum hominem timet. Ideo ergo soli deo
dicit se peccasse quia solus deus erat qui eius peccatum discutere potuisset.
Tibi soli inquit qui solus potes dimittere peccata et qui solus est sine peccato.
Et malum coram te feci id est oblitus beneficiorum tuorum te ad iracundiam
irritavi. Ut iustificeris in sermonibus faciendo ut filius tuus nascatur ex se-
mine meo sicut promisisti. Et vincas cum iudicaris id est ab omnibus qui te
reprehendunt. Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum. David ex legitimo
fuerat natus coniugio. Dicit tamen in iniquitatibus se conceptum propter
noxam originalis delicti sicut et omnes homines. Est ergo sensus. In ini-